

גָּל־עִזִּי וְאֶבֶיתָ נַפְלָאוֹת מִתּוֹרָה  
DISSERTATIONIS PHILOLOGICO MORALIS  
DE

# MORALITATE DICTI SALVATORIS

MATTH. V: comm. 22.

SECTIO MORALIS,

QUAM,

Impetrata Venia Ampliss. Facult. Philosoph.

In Reg. ad Auram Acad.

*Publico Examini Subjiciunt*

AUCTOR

## DAVID HENRICI DEUTSCH

Et

RESPONDENS

## FRIDERICUS ABR. WIJNQVIST,

TAVASTENSES.

Die XVI. Junii, MDCCLXII.

L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ, Impress. JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*J. Mag. Chytrius.*

*VIRO Plurimum Reverendo atque Preeclarissimo*

# **D: NO IMMANUEL FOENANDER.**

*PASTORI Ecclesiarum quæ Deo in Janackala, Haus-  
jerfvi & Rengå colliguntur, Meritissimo,*

*PARENTI INDULGENTISSIMO.*

**Q**uantum Tibi, Pater Indulgentissime, pro be-  
neficiis in me collatis debeam, satis exponere  
haud valeo. Me enim in aetate tenerrima Pa-  
rentibus orbatum, in tutelam benignissime suscep-  
sti Tuam, nec non quævis ad vitam necessaria  
larga suppeditasti manu. Imo, quod magis, sur-  
culus ingenii mei tenerrimus, variis Scientiarum  
principiis, tam privata, quam publica informatio-  
ne, ut germinaseret sollicite curasti. Obstupesca-  
sane, dum amorem paternum tot documentis com-  
pro-

probatum, vel minima quidem cogitatione respicio. Deficiunt verba in enarrandis, multo magis vires in compensandis iisdem. Suscipias ergo, Pater Indulgentissime, specimen hocce Academicum, licet alieno elucubratum Marte, & Tuis impressum impensis, tamquam munusculum venerabunda mente oblatum. Facultas cum mihi desit, majus præstandi, summum rerum Arbitrum ardentissimis orare precibus non intermittam, velit dies tuos in fulerum Familiæ nostræ faustos prosperosque exceptata prorogare felicitate, te tandem munere fungentem facro, sic corroborare, ut bonis incorruptilibus in æternum beatus sis uaris. Permaneo ad cineres

### PARENTIS INDULGENTISSIMI

obedientissimus filius

FRIDERICUS WIJNQVIST.

Rögl. Majts  
Tro - Dienare och Synings - Commissarie öfver Savolax,  
Ädel och Högakad

# Herr T H O M A S MOLLEEN, Gunstige Herr Morbroder.

**I** brist af förmåga at genom werkesigare prof visa sin erkänsla för åtnjuten ynnest, bör man ej försämma riemliga tilfället at åtminstone med orden både enskilt och offenteligen betyga sin tacksamhet. Detta prof är åfwen jag Eder min Herr Morbror, i högsta mäatto skyldig, hållt som jag uti Eder Vårda Person länge redan fått vörda en huld och öny sitt Anförvarant. Uptagen däröföre närvarande Pappeskynte, såsom et medermåle af den erkänsla och högaktning, hvartil jagt mig Eder förbunden. För efrigit skal mit bröst aldrig vara tomt på brinnande önskningar, för Herr Morbrors beständigt grönskande sällhet, i en lång följd af år. Himmelne late Herr Morbror förenda sina dagar under alt sielbunskeligt ibje, Sig och Sina Vårda Anhörliga til förmån och hugnad. Med sådan önskan framhärdar jag at vara

Ädle och Högaktade Herr Synings - Commissarie  
Min Gunstige Herr Morbroders

Udmju:e dienare  
FRIDRIC WINQVIST.



## §. X.

Praefationis locum tenens.



Ectio hujus operæ prior sive Philologica, jam ante annum & quod excurrit, publice ventilata est. Præmissimus in illa, quæ ad explicationem verborum in dicto Christi occurrentium pertinebant, quorum brevem avans<sup>Qæ</sup> lalwari liceat instituere. Vides ibi L.B. verba  
sextus paucis vindicata, & in primis particulam eūn, de qua tam  
men ulterius agere constituimus. Nomen adē<sup>Qd</sup> cuivis ho  
mini competere, qui ira, gestuum & verborum contumelia tæ  
poteſt, pro virili demonstravimus. Complures sententia varia de  
voce paucæ adductæ, eo tandem recesserunt, ut derivatio vocis  
kujus Syr<sup>a</sup>(a) commoda sit a Radice pp<sup>r</sup>. Unde collegimus, voca  
bulo bocce gestus contumeliosos sputatorum & irrisorum, nec non  
verba, proximum quo ad perfectiones naturales & civiles laceſ  
tentia, significari. Denn das ist Nacha oder Nick, wenn  
man die Nase wieder den Nechsten rumpft, und ihn für ei

tel hält. (b) Ulterius probavimus convitium pueris homini spiria sualem starum denegare, & indigitare insipientem non modo & cognitione Numinis salutari destitutum, sed etiam erroneous impium & malitiosum legum divinarum & humanarum transgressorem. His præcognitis, ad poenas delictis assignatas progressi sumus. Ostendimus nempe, κεῖσθαι hic idem esse ac judicium viginti triumvirale, quod crimina capitalia strangulatione, decollatione vel combustionie puniebat. Synedrium sive magnus confessus LXX. seniorum alterum erat tribunal, & ad supplicium lapidations, ut atrocissimum, delinquentes ordinarie damnabat. Gehenna vero, locus ante a maneris sed propter idolatria exercitum fædatus, cadaverā excipiebat adhuc atrocius puniendorum, ut spectaculo & abominationi essent omni prateverunti. Et hæc teritia erat poena, quæ a Synedrio quoque infligebatur.

Tantæ poenæ tam exigua manent delicta: quid de atrocioribus dicendum est criminibus, cum graviora suppliciorum genera fere non dentur? Posita tali constitutione legum, totum genus humanum, cui omnis lex bono & conservationi cedere debet, brevi destrueretur; non fecus ac si pestis atrocissima grassaretur. Rara enim esset dies, qua non centum aut plures homines in jus vocarentur, accusarentur, condemnarentur & mortis suppicio afficerentur. Adeoque, aut Salvator terram incolis evacuatam esse voluit, aut verba mitius interpretanda sunt, ut alium sensum gignant, quam præ se ferunt. Si enim ad literam intelligantur, contra aut saltem supra omne jus naturæ, legesque & divinas & humanas forenes esse videntur. Ita forsitan ratiocinatur, qui primo aspectu permotus, de moralitate delictorum in dicto hocce nominatorum judicare incipit. Et hoc jam erit L. B. quod præsenti sectione Morali explicare constituimus, & ad oculum demonstrare, verba effati sanæ rationi minime adversari,

fari, sed potius ab eadem adprobari. Verum res ordine proponenda est.

(a) *Dott. ENEV. SVENONI Gymnas. cap. rationis sum. Exerc. VII,  
prop. XLI. 8.* (b) *Dott. DAN. CRAMERI annot. Biblita in b. l.*

### §. XI.

**D**EUM T. O. M. quidem esse *αυτηγεςτων* nemo inficiabit, qui ideam entis independentis & perfectissimi sibi repräsentat. Nulla itaque coactus est necessitate ut creaturas vel inanimatas vel vivas, vel irrationales vel rationales produceret. Interim tamen, cum ex liberrima sua voluntate tales creavit, non potuit non, ut ens sapientissimum, finem quandam creationis eorum respxisse. Deus, ut se ipsum perfectissimum cognoscit, ita & seipsum super omnia amat, adeoque gloriam suam quovis modo, etiam per creationem, promovere vult & voluit. Hoc ea ratione fieri non potest, ut aliquid addatur perfectionibus ejus, aut intensive aut extensive, cum Majestas ejus nullius incrementi sit capax. *Supereft itaque ut manifesatio & illustratio gloria hujus, iamjam perfectissime, finis sit creationis.* Ex hoc fine conditio creaturarum dependet, ita ut pro ratione ejus felix vel infelix evadat. Posito enim illo casu, quod gloria DEI magis illustrari potuisset, per sempiternam infelicitatem creature, non est dubium, quin Deus id voluisset. Hæc vero adhuc minori jure Deum iniquitatem accusare posset, ac scilicet figulum, quod ignorinia idem addixisset. Sed cum Deus summo gradu felix sit & beatus, felicitas non potest non concomitari illustra-

tionem glorie ejus, & quidem tanta, quanta etiam est creatura rationalis, quæ sola gloriam hanc illustrare potest. Madum, quæ talis illustratio sit, VOLUNTAS DIVINA IN NATURA NOSTRA MANIFESTATA præscribit. HÆC enim inculcat nos esse entia contingentia & dependentia, adeoque ad omnia illa officia obligatos, quæ enti independenti & Creatori debentur. HÆC dictitat nos debere imperfectionem fugere, felicitatem vero seculari: & quandoquidem vitam, sanitatem & reliqua dona naturæ nobis ipsi non dedimus, nostrum erit officium providere, ne qua culpa nostra eorum jacturam faciamus. HÆC tandem docet, alios aequè homines esse ac nos, iisdem partibus essentialibus donatos, iisdem vita conditionibus expositos, adeoque eadem habere jura ac nos. Hinc sponte propullulant duo officia, quæ homo homini etiam invitus præstare tenetur, ut nempe cum alio agat ac cum aequali, utque ab omni laesore abstineat & si laeserit, damnum resarciat. Ambo hæcce in eo convenient, ut illis neglectis, totum genus humanum aut brevi periret, aut rationales vitam belluarum more transigerent. Sed quandoquidem apud Moralis Philosophia Doctores omnia hæcce officia plus quam copiose sunt exposita, nos eorum ulteriore disquisitione jure meritoque supersedemus.

## §. XII.

**H**is præmissis ad dictum Salvatoris in robro citatum pergitimus, dispiciendo, num & quomodo delicta ibi taxata ejusmodi principiis universalibus adversentur. Prima injuria, qua Salvator prohibet ne frater lacessetur, est ira. Sed priusquam moralitas ejus evolvi possit, debet in antecessum & natura ejus indagari & in primis observari, quæ illa ira hic damnanda & punienda pronuntiatur. Est autem i-

ra, desinente WALCHIO (a), affectus ex representatione offenditionis, sive nobismet, ipsis sive amicis nostris facta, natus, quoque nos incitat ad media, quibus malum inde imminens removendum esse putamus, rite addibenda. Vel brevius, ut BUDDEUS habet (b): *ira est species tristitie vel odii, quatenus simul malum imminens depellere astitit.* Mater hujus & que ac ceterorum affectuum, est imaginatio, qua sibi offenditionem silit, ut malum quid, quod averti & possit & debat. Hinc patet, pro imaginationis diversitate, etiam diversam esse iram, & quoad subjecta & gradus. Consistit autem illius varietas in eo, quod quidam sibi representent rem ut majus, quidam ut minus malum; alii putant illud facilios, alii difficilius tolli posse. Nonnulli versatili gaudent imaginatione, ita ut faciliter ab ingratis repræsentationibus animum averttere possint; ast idea mali nonnullorum menti firmius inhæret. Adeoque secundum diversa subjecta ira dividitur in excandescentiam & amaritudinem. Illa ut cito concepta citoque transiens, satisfactione vel præstata, cholerorum, vel neglecta, sanguineorum propria est. Illa vero tarde exitata & firmiter ac diu menti insidens, in melancholicis in primis observatur. Habito respectu graduum, ira est vel levior vel gravior, qua vel indignatio vel ira vel furor nuncupatur. Ne jam voluntas imaginationi obtemperet, & sic quidquam indecentis committat, obstare debet ratio. Hæc facultas homini præ brutis concessa, ut rerum nexus perspicere valet, ita etiam indagare debet, quid & quantum mali, veri vel apparentis, in re quadam sit. Atque sic imaginatione correcta affectus etiam corrigitur. Si autem anima in id non incumbit, ne ægre ferat, si lata variis malis aperiatur porta, ipsaque pœnæ in dicto allatæ rea fiat. Cum jam plures sine species ira, ut supra vidimus, dissiendum est, qualis potissimum ira hic taxatur. Vocabulum *ira*, cuius genuinam lectionem jam supra defendimus, nunc multum lu-

cis nobis accendet. Significat illud secundum lexicographos, frustra, temere, sine consilio, inconsiderate, sine ratione, casu. Deducunt hoc a verbo ἐκνω cedo sc. τῷ πάθει, cum quis in agendo cedit malis affectibus & ab iis vincitur, lano consilio sperto & susque deque habito (e). Concludimus hinc emphasis vocis esse, cum quis sine ulla vel saltem insufficienti ratione irascitur; vel etiam non observat modum in irascendo, nec sibi constat, sed est velut unda in mari. Patet itaque, verbum ὀργὴν σέντενση sensu generali quamcunque animi commotionem iratam designans, mediante particula ἐν pulchre determinari, ne omnem etiam justam iram & zelum officii prohibitum esse potent christiani (d). Existimant quidem inter alios HEUMANNUS (e) & D. MAJUS (f) non esse opus distinctione inter iram officii & vindictæ, quia haec, non illa, præceptum V. violetur. Propterea etiam vocem ἐν, secundum analogiam fidei & scripturae, pronunciant 1:0 otiosam, quia ira jam est determinata allegatione præcepti V. & 2:0 scripture non conformem, quia damnoſa ira contraria fratrem non est exercenda, quamvis data causa. Sed prius argumentum quod attinet, non nego, verba Salvatoris sibi consistere sine adjecta hac particula; inde tamen non sequitur ἐν esse otiosum, in primis cum perspicuitati orationis inferiat. Posteriorus argumentum nos nihil ferit, nam particula haecce emphatice indigitat iram quamcunque damnoſam hic taxari, utpote quæ ſeſe ostendit, cum quis cedit huic affectui & ab eo vincitur. Et quod reliquum eſt, explicatio præcepti VI:i ejusdem ſere eſt formæ cum hac. Sufficiet Christo dicere v. 28. Omnis videns maliterem, & allegatione præcepti determinare hanc visionem, ſed tamen adjectit verba πέντε τὸ εἰπθύμηται αὐτῆς, quæ egregie explicant ſenſum. Quid ni etiam particula ἐν hic æque necessaria eſt ad emolliendum ſenſum.

- (a) *Introd. in Philos.* L. II. c. 5. §. 24. (m) (b) *Theol. Mor.* c. I. Sect. 6. §. 21. (c) *Vid. SCHREVELII & PASORIS Lex.* tit. *āxñ.* (d) *GLASSIL Phil.* S. L. I. Tract. II. pars I. memb. 3. (e) *Erklärung des Neuen Testaments in b.* I. (f) *Sel. Exerc. Philol.* & *Ezeg.* in b. I. p. 859.

## §. XIII.

**F**am de Moralitate iræ. AUGUSTINUS & HIERONYMUS ex hoc dicto concluserunt, non esse ita scendum si justa caussa sit vel non. Hæc sententia eorum ex eo fortassis fonte profluxit, quod particulam *āxñ* pro genuina non agnoverunt, utpote quæ absuit ab eorum codicibus ut supra audivimus. Stoici, ut omnes affectus extirpandos esse statuerunt, ita etiam iram penitus proscribendam voluerunt. Illustris inter ipsos scriptor SENECA, qui tres libros de ira edidit, demonstrare vult, irâ esse utendum ne quidem ut milite, ne dum ut imperatore (a). Tam malum hunc affectum esse crediderunt, quia eum non pro naturali sed voluntario habuerunt, & ut homines sibi relictí nullos motus iræ a Spiritu gratiæ directos fenserunt. Inter recentiores CHR. THOMASIUS (b) iram ut malam ambitionis filiam rejicit, ponit enim ejus essentiam in cupiditate ulciscendi. Peripatetici iram duntaxat compescendam & regendam putarunt, ita quoque alii Philosophi. *Vince animos iramque tuam* q̄i cetera vincis: item, *dέμενον διούτιν πέπον* communia erant illis proverbia (c). Sic ARISTOTELES statuit, hominem ira expertem stolidè & serviliter se se gerere, nec esse aptum ad vindicias sui (d). Nos quod attinet, si iram consideremus ut cupiditatem depellendi mala & quidem immerita, in se quidem nihil contra ius naturæ pugnantia contineat. Nemo enim obligatus est, ut se se aliis submitat ad quamcunque contumelias.

meliam, quin potius ut se suaque defendat iis mediis, quæ sufficiente malo depellendo, & ad quæ adhibenda ira justa excitat. Sic si quis irascatur peccato, non vero peccatori, utpote cuius misereri oportet, ira non est taxanda. Hinc in verbo quoque revelato non solum jubemur recte irisci Psalm. IV: 5. (b) verum etiam exemplum habemus purissimæ iræ in sanctissimo Salvatore nostro, Marc. III: 5. *Alia autem est ratio iræ in aido nostro taxata, quæ particula ēxū determinatur.* Hanc multis nominibus legi naturali adversari, non est quod dubitemus. Quemadmodum illa neque justam causam neque modum observat, non est mirum, hominem illa furente & divina & humana jura pervertere, imo seipsum quoque lacerare. *Sic proximum faciat irascens ejusmodi, indirecte, cum ipsi omnem amorem denegat, necessitatibus ejus non subvenit, imo ne minima quidem ipsi officia præstare vult.* Nec a directa lesionē abſinet. Eum pro æque homine non reputat sed contemnit ut bestiam; quasi eum absque injuria convitiis confectari & cædere posset. Quid, quod in ejusmodi statu sit, ut data vel minima occasione, ad quævis mala vicino inferenda, sit paratissimus. Ita ut hic cum irato agens non possit sibi certo persuadere, quin opinione celerius & in iictu oculi, valetudinis, membrorum, imo ipsius vita jacturam pati cogatur. Et ejusmodi terror, quo alter immerito cruciatur, potest optimo jure imputari irato, ut gravis laesio proximi. *Ulterius quoque se ipsum lacerans irascens ēxū.* Affectu regente, ratio e tribunali suo de truditur, attentio turbatur, adeoque non hominum sed belluarum more vivitur. Sic ægrotante anima corpus quoque graves sentit offendentes. Cum hoc enim affectu varius & abruptus spirituum & sanguinis motus est unitus. Hinc odio mali imminentis & tristitia incurrente, calor fit debilis, pulsus parvus & facies paler. Mox iterum accidente cupiditate depelliendi idem, oriuntur spasmata, aorta descendens

dens constringitur, unde major sanguinis propulsus per arterias carotides & rubor faciei; quæ tamen iterum abrum-puntur timore, pudore vel odio (f). Sed quandoquidem omnis repentina mutatio naturæ est noxia, non est mirum, quod tales irascentes exsanctam sanitatem corporis debilitent, morbosque varios & quandoque ipsam mortem sibi accersant. Imo in ejusmodi sunt statu, ut in crimina capitalia ruentes capitali quoque supplicio feso subjiciant. *Eis observatis non est dubium, quin irascens exsanctum Numen quoque suo modo ledat.* Gloriam enim DEI, ad quam illustrandam creatus & sustentatus est, nihili habet & obscurare conatur. Voluntatem ejus in natura humana manifestatam non sequitur, cum neque suam felicitatem neque aliorum jura curat. Debitum neque sic honorem & reverentiam, multo minus amorem ei præstat; nam ut verbis utar Spiritus DEI: οὐ μὴ ἀγαπῶ τοὺς αἰδελφούς αὐτοῦ, διὸ εἰσέγειτε, τὸν Θεὸν ὃν ἔχετε, πῶς δύναται ἀγαπᾶν; I. Joh. IV: 20.

- (a) *De Ira L. I. c. 9.* (b) Ausübung der Sittenlehre c. 13. §. 31. (c) vid. comment DAV. CHYTHRÆI in b. l. (d) Ethic. ad Nicomach. l. IV. c. 5. cfr. Walchii Lex Phil. tit. Dorn. (e) cfr. JOH. H. MICHAELIS über. Annot. in b. Psalm. (f) vid. VÉRHEINI Anatomo. L. II. trætl. III. cap. XV. pag. 244. & SENECA l. I. c. L de ira.

## §. XIV.

**I**rrati & contumeliosi gestus, nec non convitia minora, iam subsequuntur in Themate nostro. Illi non sunt confundendi cum signis iræ naturalibus in §. præced. recensitis, nam voluntatis determinationem supponunt, & possunt abesse,

*bra & contemtu tamen manente.* Experientia quotidiana docet, quosdam iram quoque acerbissimam celare, imo quod mirandum pallio amicitiae tegere. Exempla habebis apud SENECAM (a). Alii iram quidem dissimilat nec nolunt semper valent, tamen ne multis gestibus sese prodat, obstat pudor vel timor. Neque desunt, qui ne tantillum quidem illam sedare velint, quin in gestus varios iratos & contumeliosos erumpat. *Eadem etiam est ratio convitiorum.* Multæ enim dantur contentions & rixæ, ubi litigatores non quidem ira & contemtu abstinunt, attramen neque verbis contumeliosis uti audent. *Si autem quis eo impudentia procererit, ut nulla motiva impedire possit, quo minus aut gestibus variis aut convitiis simul proximum facessat, non est quod dubitemus hoc detinum majoris esse ponderis, quam si ira sola adesse.* Nam præterquam quod homo penes se ipsum iram acerborem incitat, cum sic ejus motus fovet & exercet, etiam proximum majore afficit injuria. Famam ejus, sape vitæ equiparatum, lacerat, ipsumque aliis deridendum exponit. Animum ejus turbat timore, si pusillanimis sit & a defensione sui imperatus. Et quemadmodum affectus excitant affectus, non raro accidit, ut ejusmodi ira gestibus & convitiis communistrata alterius animum æquali incendat ira, quæ in ulciscendi cupiditatem & implacabilitatem tandem abit (b). *Sed adhuc majoris est atrocitas, si gravioribus convitiis, & in primis iis, quæ spiritualem proximi statum concernunt, vicinus leditur.* Nam quo magis existimatio simplex & religio bono viro cuius cordique est & esse debet, eo major quoque penes illum excitatur indignatio, si protervè dicatur eum illis carere, eo majorem quoque penes aggressorem prodit malitiam (c). Unde patet majori quoque pœna dignos esse, qui talia bono viro impingunt, quam si imperfectiones naturales & civiles illi exprobaret. Idque eo magis, quo certius convitiator, gloriam divicam magis obscurare

rare audet, cum de iis judicat, quæ ad forum poli & di-  
vinum pertinent, aliisque maximum præbet scandalum. *Hæc  
omnia tamen non impediunt, quo minus illi, quorum interest,  
veritatem dicere possunt & scapham scapham appellare* (d), adeo-  
que nec illis erimus difficiles, qui particulam *ānē* hic quo-  
que subintelligi statuant.

Ut in hisce sententia nostra melius patescat, lu-  
bet apponere quædam usitatorum scommatum, quæ im-  
pudens bucca in proximum effutire solet. Sub voca-  
bulo *jæxa* comprehenduntur sequentia: *Nackare*, wraf,  
*prackysl*, swinhund, hundsfot, tölper, lymmel, kâring, stacka-  
re, fulinge, canaille & reliquæ defectuum naturalium & ci-  
viliū exprobrationes. Ad vocabulum *pægss* pertinent:  
*dâre*, galninge, fâ, best, skâlm, tjuf, Jude, atheist, djeſ-  
wul &c. Huc etiam jure referuntur scommata, quibus ho-  
mines hujus mundi, proximum e somno peccati exitatum &  
pietati non succata studentem, cheu! onerant, qualia sunt:  
*Kâttare*, ſkenhelig, pietist, singularist, wormist, Pharisæ,  
*ſtrymtare* &c. (e) Hæc & alia ejusmodi convitia cito qui-  
dem dicta sunt, & a multis nihil habentur, sed videamus  
jam poenas illis assignatas.

(a) *De ira L. III. c. 14. 15. 38.* (b) *GLAFER* Verunſt  
und Völker-Recht cap. I. §. 56. *L. IV.* (c) vid. *Verba BEAU-*  
*SOBRE & LENFANT*, in *Scđ. Philol.* §. 5. p. 13. a nobis citata.  
(d) efr. *CONRINGH* annot in *L. II. §. XIII.* *GROTH* de verit.  
Rel. Christ. (e) vide *qua insignis sui temporis testis Veri-*  
*mitis STEPH. HALLANDER* tradit, in *Praefat. Libri Om*  
*na Lycksaligheten.*

## §. XV.

**A**ffirmat Salvator in secula benedictus, quodvis nominatorum delictorum aggressorem facere reum certa pena & quidem atrocissima. Cum autem fortasse durius dictum videatur, sensum effati indagare & exponere tandem debemus. Non desant qui putent verba Christi proverbialiter sumenda (a). Sed vix percipio Salvatorem voluisse rem seriam joco quaest proferte & ea auditoribus proponere quae omnibus in ore erant. Num autem allusive sunt intelligenda? ita ut Christus non temporales sed aeternas respxerit penas, cum allusione ad formam judiciorum civilium apud Iudeos. Ita quidem existimat GLASSIUS (b), & BELLARMINI expunctionem erroneam verborum Christi ex eo fonte propulsulare putat, quod hanc allusionem non observaverit. Sed alias quoque caussas erroris pontificii fuisse, solide demonstrat D. MAJUS (d). Nos omnino allusionem non negamus, neque, haec & alia delicta sua natura prometeri penas infernales, & quidem graduum diversorum pro ratione delicti. Nulla tamen nos cogit necessitas ut a sensu literali & proprio verborum discedamus. Accoquē dictum Christi ad literam intellegitum cum dilectione rationis sana conferre licet. Ad questionem, quem in finem Deus homini vitam concessit & varia bona hoc in mundo respondet sana ratio, non ut voluptatibus se tradat, nec faciat quaecunque velit, sed ut gloriam divinam illustret, unde & ipsius & aliorum felicitas proficit ut vidimus §. XI. Quandiu itaque hic finis ab homine observatur, tamliu etiam homo dignus vita dici potest. Et cum oppositorum opposita sit ratio: Quamprimum finis hic contemnitur & quantum fieri potest, impeditur, illico homo indignus vita censarius est. Jam vero homo irascens & & adhuc magis, qui gestibus & convitiis levioribus gravioribusve iram suam & contemptum

proximi commonstrat, gloriam DEI obscurare audet, neque suam nec vicini felicitatem veram curat §§. XIII. & XIV. Patet itaque talē aggressorem seipsum facere indignum vita, vel quod idem est, reum supplicii capitallis. Cum autem delicta sint diversæ atrocitatis §. XIV, sequitur etiam supplicia diversi gradus esse debere. Ad eoque si iniçens eū dicitur reus strangulationis, irritor & convictior lapidationis, & maledicentis, ut corpus ejus insepultum in talē Hinnom projiciatur ibique eremetur, sans ratio nibil in iuste nō ilque nō dictum esse facteri potest. Talem esse conclusionem sanæ rationis, etiam Apostolus docet Rom. I: v. 32, ubi asserit ethnicos quoque scire ὃν ἀξιος Iuvat τοις, qui dicta hisce similia patrant. Exempla quoque non defūnt, qua ināgitent ejusmodi cuncta lethiferas habuisse consequentias. Homines ira eū correpti non raro morbos periculosos sibi attraxerunt, aliquando etiam paralyticī facti mortui sunt. Pueri, Elīsæ paxa dicentes, ungvibus urorum discripsi, temeritatis & petulantiae pœnas dederunt. 2. Reg. II: 23, 25. Mittamus fabulam Judæorum, Moſen & Aronem ideo mortuos esse, quod populum vocaverint stultum (e): Attendantus vero ad dictum Rabbinorum quorundam, qui narrant (f) se prolongasse vitam suam, quod socium cognomine non vocarunt, nec in ignominia ejus gloriam quasiverunt, nec imprecations sive invocaciones adversus socium unquam lecto suo insulerunt, neque affellibus praefratte morem gererunt.

(a) vid. Scđ. Phil. §. IX. p. 23. (b) Philol. S. pag. 1966  
§ 2115. (c) De amiss. grat. & p. peccati L. I. c. 9. (d) L.  
civ. v. 870. (e) PEELFF, Dub. Vex. P. T. pag. 292. (f)  
WAGENSELL in Soto p. 812. &c.

## §. XVI.

**A**lia autem est res æque ac responsio, si queratur: an Christus voluit hocce dicto Magistratui Civili prescribere, quæ pœna iracundos, convictatores & maledicos afficeret? Quod negamus. Hoc enim neque sequitur ex verbis Salvatoris neque ex scopo dicti hujus. Non ex verbis, nam Christus non dicit tales esse puniendos (*a*), sed solum reos & obnoxios pœnæ, ita ut illis quidem nulla injuria fieret, si punirentur. Neque alias sensu oritur ex scopo dicti. Opinio erat Judæis, Christi verba & facta eo spectare, ut lex aboleretur, quasi hostis fuisset omnis disciplinæ, Joh. IX: 16. Pharisei & Scribæ iterum detorserunt verba legis, erroneous suis interpretationibus & traditionibus, quasi lex nihil aliud quam apertas prohiberet injurias. Scopus itaque Christi hoc & aliis ejusmodi dictis erat, partim ut suspiciones falsas & se amoveret, partim ut legis sensum explicaret & vindicaret (*b*). Propterea etiam citantur præcepta legis non nuda, sed ut glossematibus Scribarum erant vestita, quod ex v. 43. hujus capitilis & oppositione sententiæ Christi patet. Adeoque hæc loquitur Christus non ut legislator, ut Pontificii volunt (*c*) neque ut judex, Joh. III: 17. Luc. XII: 14. Sed solummodo ut interpres legis Mosaicæ, ostendens gravitatem horum delictorum, quæ a scribis nihil fere habebantur. Si autem hæc Magistratui Civili dicta essent, debuisset simul proponi, quonam supplicio graviora sceleræ punirentur, cum atrociora pœnarum genera fere non dentur. Sequeretur inde quoque alia delicta leviora, quibus æque gloria divina obscuratur, capitales manere pœnas; unde quotidianus esset laniatus, ne dicam, bellum omnium in omnes & destruacio generis humani.

Atque sic pro virium modulo, proque temporis angustia  
alia curis publicis & privatis distenti, evicimus Salva-  
toris dulcissimi verba sanæ rationi minime adversari. Et  
quemadmodum illa docent peccata quoque communiter par-  
vi habita mortem metiri: conscientia autem nostra dicitat,  
omnes, saltem aliquando, nosmet iis inquinasse, ita dabi-  
mus operam, ut poenitentia non imaginaria nec sara, sed  
seria & non fucata ad DEUM conversi, fide viva at-  
tingere possimus illud aureum:

*Δικαιος θυμοι Δαρειον.*

Rom. III: 24.

(a) *Vid. BEAUSOIRE & LENFANT in b. l. (b) cfr. MAJUS in b. l.  
p. 853. (c) Concil. Trident. Sess. 6. cap. 21.*

S. D. G.



*Peregrinis atque Prastantissimo  
Domino RESPONDENTI.*

*CONSOBRINO DILECTISSIMO.*

**C**ui faatrix fors, omni rerum abundantia affluentem conces-  
sit educationem, labores nescit & molestias, que pauper-  
satis onere oppressis occurunt. Fasi inclemensia, Consobrine  
Dilectissime, jam Te in tenerrima pressit etate, dum te Paren-  
tibus orbavit. Cum jam, per plurimarum difficultatum, cum  
quibus conflictatus est, Te evadere victorem video, applausu  
meo licet incelebri pro ea, que inter nos ab infantia inter-  
cessit, amicitia, Tibi deesse non debeo; præsertim cum ingenio,  
se hujus Dissertationis Ressponsorias partes Te suscepturum au-  
dio; etsi ea verborum deest mihi copia, qua progressus Tuos  
in singulis scientiarum partibus & virtutes Tuas honestissi-  
mas publico nunc rite depredicare possim. Gratulor tamen  
Tibi eximias animi & ingenii dotes, quibus natura faatrix  
Te beare voluit. Gratulor Tibi eruditionem, labore & vi-  
giliis conquisitam, non vulgarem. Gratulor Tibi, virtutes in-  
signes iudies accrescentes, Teque magis magisque felicem  
reddentes. Gratulor Tuis, cognatum & consanguineum do-  
ctrina & virtute ornatissimum. Gratulor insuper mibi ami-  
cum sincerum & verissimum, nec non Consobrinum dignissi-  
mum. De cetero voveo, addat DEUS T. O. M. honestissimus  
Tuis conaminibus prosperos faustosque successus! Teque omni  
cumulet beatitudine, in Tuum commodum Thorumque gau-  
dium & solatium! Ita ex imo vovet peccatore

Tui amantissimus  
CAROLUS AGANDER.